

568

Lib IV. Cap. IX.

nem, si distributio fiat in plura, tantum ratione & per mentis operationem distincta e. g. cum species in genus & differentiam, anima in suas facultates dividitur.

5. Divisio duplex est, vel vocis, vel rei.

6. Divisio vocis est, cum vox in sua significata aut diversos sensus distribuitur, ut cum acutum tale esse dicitur vel quoad figuram, vel quoad vocem, vel quoad saporem: similiter, cum hujus orationis: *litus aras*, alter sensus esse dicitur, quod litus aratro proscindas; alter, quod operam perdas, Vid. Fons, l. 4. Inst. dial. c. 2.

7. Divisio rei, quâ scil. res ipsa in plura distribuitur, est vel per se vel per accidens.

9. Divisio rei per se complectitur (a) divisionem totius integralis: (b) totius essentialis physici; (c) totius essentialis metaphysici, (d) totius universalis (e) totius potestativi.

9. Divisio totius integralis est, qua aliquid dividitur in illas partes, quarum quantitate constituitur quantitas totius, ut cum humanum corpus dividitur in caput,